



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. IX, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 35vb-36rb
transcribed by Andrea Colli

Circa distinctionem 9 quaeritur utrum hierarchiae sint connexae.

Videtur quod non, quia illa quorum ratio consistit in distinctione, nullo modo ad invicem connectuntur, quia connexio distinctio opponitur. Sed ratio hierarchiae consistit in distinctione superioris et inferioris. Ergo non sunt connexae ad invicem.

Praeterea. In angelis non est invenire nisi naturalia et gratuita. Sed in naturalibus non connectuntur, cum sint diversarum specierum; nec etiam in gratuitis, cum in diversis ordinibus sint collata diversa munera gratiae. Ergo non sunt connexae.

Contrarium apparet per beatum Dionysium qui assignat connexionem ordinum et hierarchiarum.

Responsio. Ista quaestio unum quaerit, ut apparet, et multa supponit, scilicet quod sit hierarchia. Secundo supponit plures esse hierarchias. Ideo sunt tria videnda : primo ostenditur quid sit hierarchia; secundo ostenditur numerus et sufficientia hierarchiarum; tertio principale quaesitum.

Quantum ad primum sciendum quod Dionysius diffiniens hierarchiam, IV c. Caelesti Hierarchiae dicit quod hierarchia est divinus ordo, scientia et actio deiforme, quantum possibile est, similata, et ad inditas ei illuminationes divinitus proportionabiliter in Dei similitudinem conscendens.

Ad cuius evidentiam sciendum quod hierarchia dicitur sacer principatus a hiera, quod est sacrum, et archos, quod est princeps. In omni autem principatu requiritur gradus potestatis et finis. Unde in sacro principatu oportet illa duo esse. Videmus autem in principatu saeculari, quod finis est ut subiecta multitudo pacifice disponatur ad bonum intentum a principe, sicut patet in exercitu, qui, sicut ad finem ultimum ordinatur ad bonum ducis, ut haberi XII Metaphysicae. Sic igitur in sacro principatu similiter finis ultimus est assimilatio ad Deum. Et quia, quod hunc finem non est possibile consequi nisi per ordinatam actionem, ad quam exigitur ordinata potestas, et scientia dirigens, et actio, sicut ad finem inducens et Dei similitudo, sicut finis intentus. Ideo omnia illa convenienter ponuntur in definitione hierarchiae, quae est sacer principatus. Sic patet primum.

Quantum ad secundum sciendum quod hierarchia est sacer principatus. In nomine autem principatus est duo considerare, scilicet ipsum principem, qui est Deus et ipsam multitudinem a principe gubernatam. Si loquamur de hierarchia ex parte principatis, cum unus sit Deus princeps non tantum hominum, sed etiam angelorum, sic est tantum una hierarchia. Si autem principatus consideretur ex parte multitudinis gubernatae, sic proprie unus principatus dicitur secundum quod multitudo uno et eodem modo potest gubernationem principatus recipere. Quae vero non eodem modo gubernari possunt a principe, ad diversos pertinent principatus, sicut sub uno rege sunt diversae civitates, quae reguntur diversis legibus et ministris. Manifestum est autem quod alio et alio modo recipiunt homines et angeli divinas illuminationes. Nam angeli recipiunt eas in pulchra puritate intellectuali, sed homines eas recipiunt sub similitudinibus sensibilium. Et ideo oportet distinguere angelicam hierarchiam ab humana. Per eundem modum hierarchiae in angelis distinguuntur. Dictum est enim supra quod angeli, quanto sunt superiores, tanto habent universaliorem cognitionem veritatis. Ista autem universalis acceptio veritatis potest distinguere secundum gradum triplicem, secundum quod rationes rerum, de quibus angeli illuminantur, possunt tripliciter accipi.



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. IX, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 35vb-36rb
transcribed by Andrea Colli

Primo enim possunt accipi universales rationes ut immediate exeunt ab ipso universali principio, quod est Deus, et hoc modo perficiunt angelos de prima hierarchia quae /36ra/ immediate ad Deum extendantur et quasi in vestibulis Dei recipiuntur.

Secundo accipiuntur istae rationes universales, ut dependent ab universalibus causis creatis, quae iam aliquo modo multiplicantur et magis determinantur. Et secundum tales rationes accipitur hierarchia media.

Tertio modo possunt illae rationes accipi, ut applicantur rebus singulis et ut dependent a propriis causis; et sic accipitur infima hierarchia. Et quia non esset multitudo ordinata, sed confusa, si in ipsa multitudine diversi ordines non essent, ideo ipsa ratio hierarchiae hoc exigit, ut in qualibet hierarchia sint diversi ordines, quae quidam diversitas ordinum, secundum diversa officia et actus consideratur; omnes autem ordines in aliqua multitudine existentes ad tria reduci possunt, secundum quod quaelibet multitudo habet tria, scilicet principium, medium et ultimum. Sicut videmus quod in civitate sunt quidam primi, sicut principes civitatis, quidam infimi, ut populus, quidam medii, ut burgenses et mediocres. Cum ergo quaelibet hierarchia sit perfecta multitudo, debet distingui secundum tres ordines, ita quod sunt tres hierarchiae, quae erunt novem ordines angelorum, qui sunt angeli, archangeli, principatus, potestates, virtutes, dominationes, throni, seraphim, cherubim.

Quantum ad tertium de connexione hierarchiarum sciendum, quod connexio istarum hierarchiarum accipitur tripliciter, secundum tria quae sunt de ratione hierarchiarum scilicet, secundum ordinem, scientiam et actionem.

Secundum ordinem quidem attenditur connexio, inquantum in omnibus invenitur distinctio secundum primum, medium et ultimum : sicut enim angelica hierarchia est media inter nos et Deum; ita etiam est accipere in hierarchia ipsa primam hierarchiam, mediam et infimam; et in qualibet primum ordinem, medium et infimum. Et in quolibet primos angelos, medios et infimos, et hoc a primo usque ad ultimum. Secundum scientiam vero est intra eos connexio, inquantum irradiatio divini luminis extenditur a primis usque ad ultimos. Quod tamen lumen non aequaliter ab omnibus recipitur, sed a superioribus in maiori simplicitate et ab inferioribus in minori. Secundum actionem vero est connexio, quia primi habent actionem hierarchicam in medios, et medii in ultimos, quae actio attenditur in purgando, illuminando et perficiendo. Et sic patet de connexionem eorum.

Ad primum argumentum dicendum quod distinctio, quae est de ratione hierarchiarum, est aliquorum ordinatorum ad invicem et ad aliquod unum: et talis distinctio non excludit connexionem, sed potius ponit.

Ad secundum dicendum quod angeli duplici lumine perficiuntur, scilicet naturali et gratuito pertinente ad actus hierarchicos et utrumque lumen est unum per comparisonem ad principium, quod est Deus, et per comparisonem ad finem ad quem ordinatur. Et utrumque etiam distinguitur et appropriatur diversis secundum capacitatem recipientium; quia tamen illa distinctio est ordinata; ideo connexionem non excludit, sed potius ponit.

Iuxta hoc quaeritur sine argumentis utrum connexio hierarchiarum et distinctio ordinum sit a natura.



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. IX, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 35vb-36rb
transcribed by Andrea Colli

Dicendum quod ordo gubernationis, qui est ordo multitudinis sub principatu existentis, attenditur per comparisonem ad finem. Finis autem angelorum dupliciter potest accipi. Uno modo, secundum facultatem naturae suae, ut si nos diceremus finem angelorum amare et cognoscere Deum naturali cognitione et amore. Et per comparisonem ad hunc finem, distinguuntur ordines secundum dona naturalia, quia quanto est angelus excellentior natura, tanto Deum plus amat et cognoscit naturaliter.

Alio modo potest accipi finis multitudinis angelicae, secundum quod excedit facultatem naturae eorum, prout Deus est obiectum beatitudinis eorum; ad quem finem non possunt attingere, nisi per gratiam. Et si secundum hunc finem accipitur distinctio ordinum, dico quod cum secundum dona naturalia perfectiora angelorum data sit eis perfectior gratia, tunc distinctio ordinum accipienda est hoc modo formaliter et complete secundum gratuita, materialiter autem et dispositive secundum dona naturalia.

Modo contra hoc arguuntur aliqui multipliciter quantum ad hoc, quod dictum est de angelis, quod eis datum est plus de gratia secundum quod habuerunt meliora naturalia.

Primo, quia dicunt quod articulus condemnatus est, si quis dicat quod angeli secundum quod meliora naturalia habuerunt secundum hoc de necessitate habuerunt maiorem gratiam. Istud autem quod hic dicitur parum vel nihil differt a praedicto articulo.

Secundo arguunt sic et appenter. Quia si datur gratia maior secundum meliora naturalia, et minor secundum minora, ergo simpliciter datur per naturalia gratia; quia si maius sequitur a maius, et simpliciter ad simpliciter et si gratia datur per naturalia, ergo gratia non est gratia.

Tertio sic. Si ille qui habuit meliora naturalia plus habuit de gratia et gloria, tunc Lucifer qui habuit meliora naturalia, plus habuit de gratia et gloria, quod falsum est et erroneum.

Quarto sic. Gratia et gloria dantur secundum motum liberi arbitrii, qui immediatius disponit ad gratiam et gloriam. In habente autem liberum arbitrium motus disponens hominem ad gratiam non fit secundum naturalia, sed secundum libertatem. Ergo vel angeli non habuerunt liberum arbitrium, vel data est eis gratia secundum conatum illius. Et ratio etiam Thomae secundum eos ad hoc non est efficax. Et est ista (prima pars, quaestio LVII, articulo 6) : Quando aliquid movetur in aliquid, et non habet retardans aliquid, nec impediens motum suum, tunc moventur secundum totam virtutem. Sed angelus non componitur ex diversis naturis, quarum una impediat vel retardat aliam a motu suo in Deum. Et ideo quando angelus fertur in Deum secundum totam virtutem et naturam, fertur in ipsum et quia secundum intensionem conversionis in Deum datur maior gratia et gloria, ideo rationabile est ut angelis, qui sunt superiores in natura, sit collata maior gratia et gloria.

Ad illam rationem dicunt quod, licet angeli non habeant impedimentum ad convertendum se in Deum ratione naturae suae, habent tamen ex parte libertatis, secundum quam magis vel minus possunt converti in Deum, nihil in contrarium, ut de Lucifero patuit et suis sequacibus. Quod etiam subditur, ubi non est aliquid impediens a motu, movetur aliquid secundum totam naturam suam, dicunt quod hoc est verum in natura non libera, non autem in natura libera, saltem in naturam qualis sunt angeli. Et quod subditur, quod rationabile est quod habens meliora naturalia habeat plus de gratia et gloria, dicendum quod verum est quod ita esse debuit, non tamen ita fuit, ut patet de Lucifero. Dicendum quod rationes illae non concludunt.



University of Cologne
Department of Philosophy
Thomas Institute



This project has received funding from the European Union's Horizon 2020 research and innovation programme under the Marie Skłodowska-Curie grant agreement No 657033

GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. IX, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 35vb-36rb
transcribed by Andrea Colli

Ad primum dicendum quod non est idem quod dictum est cum articulo, quo dicitur quod de necessitate habuit plus de gratia, qui habuit meliora naturalia, quia nec est necessitas a parte Dei conferentis, qui solum necessario movetur a bonitate sua et non ab aliquo creato, nec etiam a parte creaturae recipientis, quia semper remanet libertas disponendo se ad gratiam habitualem. Sicut igitur non sequitur: iste habet plus de arte scribendi, ergo necessario melius scribit, ita est hoc; tamen ibi est necessitas condicionata, ut scilicet supposito, quod habens meliora naturalia, plus conetur, et quod Deus secundum maiorem conatum plus infundat de gratia, sequitur necessario propositum.

Ad secundum dicendum quod sequitur in causis per se non tamen in causis per accidens. Bene enim sequitur: si maius bonum sit magis eligendum et maximum maxime, ergo bonum semper est eligendum. Non tamen sequitur quod, si bibere multum, multum inebriat et magis bibere magis inebriat, ergo bibere simpliciter, simpliciter inebriat. Modo certum est quod bonitas naturalium non est per se causa gratiae, sed beneplacitum Dei.

Ad tertium de Lucifero non valet, quia intelligimus quod secundum conatum naturae moveatur voluntas habentis meliora naturalia qualis non fuit Lucifer, qui sibi posuit impedimentum.

Ad quartum dicendum quod id quod est secundum liberum arbitrium, inest naturaliter, quia sicut gravi inest descendere, ita naturae rationali inest moveri secundum liberum arbitrium.

TEACHON